

247
(8)

ANNVENTE GRATIA DIVINA
NOBILIIUM QUÆSTIONUM ETHI-
CARUM DECAS IIX.

De

MODESTIA ET
MAGNANIMITATE,

Quam

In illustri VVittebergensium Academia,

PRÆSIDE

Clarissimo Viro

M. HENRICO VELSTENIO,

Philosophiæ Moralis Profess. P. & p.t.
facult. Philosoph. Decano,

Examini subijcit

ELIAS DETHLEVIUS,
LUBECENSIS,

Ad diems. Iduum Decemb. horâ, locoq; consuetis.

Augustinus.

In honoribus percipiendis, neq; totum accipias, quod
offertur, neq; totum respuas.

§(o)§

VVITTEBERGAE

Typis Joh. Gormani, Anno 1609.



REVERENDIS, CLARISSIS-
MIS, DEQ; ECCLESIA ET SCHOLIS
OPTIME MERITIS VIRIS,

Dn. M. JOACHIMO DOBBIN,
Reverendi Ministerij Seniori &
Templi Cathedralis,

Dn. HENRICO MENNE,
ad D. Aegidium,

Dn. M. JOHANNI STOLTERFOTO,
ad D. Mariam,

Dn. M. MARTINO GLAMBECIO,
ad D. Jacobum,

Dn. M. HERMANNO LIPSTORPIO,
ad D. Petrum,

} Apud Lu-
becenses
} Pastoribus
} ut dignissi-
} mis, ita vi-
} gilantissi-
} mis.

Dn. M. SEBASTIANO Schwan / in Verbo ad
D. Mariam ibidem ministro integerrimo
ac fidelissimo.

*Dominis Fautoribus, Praeceptoribus & Promotoribus
eternum colendis,*

Hoc exercitium Philosophicum
in

*Studiorum argumentum
dicat & consecrat*

Auctor & Respondens.

DE MODESTIA ET MAGNANIMITATE.

Questio I.

Quid modestia & magnanimitas, quodnam utriusque objectum, quæ extrema?



*U*lperest nunc, ut digrediamur ad Modestiam & Magnanimitatem, quæ voluptatibus, ex honoribus ortum incrementumq; habentibus, aureum illud Palladis frenum injiciunt. Modestia definitur μεσότης ἐπὶ ταῖς μικρὰς τιμὰς, id est, Virtus, quâ medium tenetur in parvis honoribus nobis debitis, prout decet, expetendis. Arist. 4. Ethic. c. 4. Seu est virtus, quâ mediocres honores, unde, quomodo, quando & quantum oportet, expetimus. Goclen. in Ethicis. Vox modestiæ sumitur dupliciter. 1. Pro naturali verecundiâ, cuiq; insita. 2. Pro morali habitu, in qua significatione iterum bifari acâcipitur: 1. Γενναῖος à Cicerone & Seneca pro ordine decorè agendi omnia in tota vita; Item pro moderatione rerum secundarum. 2. Εἰδικῶς pro moderatione seu regimine appetitus honoris, ut hoc loco ab Aristotele. Objectum hujus virtutis constituitur duplex externum & internum. Externum sunt honores mediocres: Internum est appetitio honorum moderata. Extrema hujus virtutis sunt in excessu φιλοτιμία seu ambitio: In defectu verò ἀφιλοτιμία honorum contemptus. φιλοτιμία est nimia honoris cupiditas; seu est vitium, quo quis præter rectam rationem judicat se non satis dignis honoribus affici, ideoq; majores ambit. ἀφιλοτιμία est

contemptus honoris, qui ne ex honestis quidem rebus honorem sibi vendicat: seu est vitium, quo quis ijs honoribus, quos virtus sua meretur, se indignum putat, illosq. aspernatur. Fit tamen aliquando, ut Φιλοψυχία & ἀφιλοψυχία in bonam partem accipiantur pro ipsa virtute, quā σώφρων peditus est, ideoque laudentur. Goclen in Ethicis. Hæc de Modestia.

Magnanimitas (Græcis Μεγαλοψυχία ἀπὸ τῆς μεγέτης τῆς ψυχῆς dicta) est Μεσότης περὶ τὰς μεγάλας τιμὰς, id est, Virtus in magnis & debitis honoribus vel appetendis vel fugiendis mediocritatem servans. Arist. lib. 4. Eth. cap. 3. Vox magnanimitatis etiam bifariam accipitur. 1. in genere, vel pro ornamento omnium virtutum, vel pro rerum arduarum susceptione, atque sic cum fortitudine coincidit. Versatur enim magnanimus circa τὰ μεγάλα, quod & ipsa nominis etymologia, à magnanimitate desumpta, tacite subinfert. 2. In specie ac propriè pro virtute moderante appetitum magnorum honorum. Objectum hujus virtutis constituimus juxta Aristot. τὰς μεγάλας τιμὰς, magnos honores, qua in parte etiam à modestia magnanimitas distinguitur. Hæc enim in magnis, illa in parvis seu modicis honoribus cernitur. Sicut enim non quævis corona quemvis decet victorem: Ita nec quivis honor quemcunque hominem, Aristot. dicto loco. Unus quidem honor est naturâ, qui utriusque virtutis modò nominat & objectum constituit: gradibus tamen, ut ex dictis facile videre est, diversus. Extrema hujus sunt in excessu χαυνότης superbia: in defectu μικροψυχία pusillanimitas. Superbia (qua filia τῆς Φιλαντίας) est vitium, quo quis majoribus se dignum putat honoribus, eosq. præter meritum affectat. Pusillanimitas est vitium, quo quis ijs honoribus se non dignum judicat, qui jure ei debentur. Arist. l. d.

Qua-

Questio II.

An honorum æqualitas introducenda?

Ecce gens ista nostra Anabaptistica, ut omnem omninò infaniam, quemadmodum bonorum omnium; sic & honorum communionem & æqualitatem quandam introducere satagit; ut nemini obscurum esse potest, qui illorum mores, vitam & doctrinam vel volantibus duntaxat oculis pellustraverit. Nos istos homines hisce compedibus constringimus: I. Quia hic ordo divinus in prima statim creatione sancitus, ac postmodum post lapsum & diluvium repetitus & hunc usque in diem conservatus est, ut aliqui sint superiores & Domini; aliqui inferiores & servi. II. Justitia suum unicuique tribuit. III. Ipsa natura unius corporis membra alia aliis honoratiora constituit. IV. Ipsa societas Politica firmissimam amicitiam, hominibus diversorum graduum & honorum inter se firmiter unitis, contrahit. V. Honor est premium virtutis: & tale quidem premium, quod omnibus virtuosis debetur, magis virtuosis majus; minus, minus. Atqui non omnes ex æquo, neque etiam uno eodemque modo & gradu virtuti student, Ergo. VI. Denique hæc honorum æqualitas virtutis studium, quod aliàs satis languidum est, in hominum animis extinguit, ut verè dictum sit à Bodino, nihil à natura, nihil à divinâ lege magis alienum cogitari posse, quàm honorum, imperij, ac fortunarum exæquationem. lib. 6. de Repub: c. 4.

Gr. 305.

Questio III.

Quo loco habendum illud λέγει βίωσας?

Epicuri hoc effatum est, quod & apud Suidam pro-
verby nomine recensetur. Allusit ad id Horatius:

Nec vixit malè, qui natus moriensque fefellit;

A 3

id est,

id est, quem nemo sensit prodeuntem in hanc vitam, nec excedentem e vita. Allusit & huc Ovidius in libris Tristium: Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra Fortunam debet quisque manere suam.

Hoc Epicuri graviter reprehendit Plutarchus, in Commentario, si modò non fallit inscriptio, ut habet Erasmus in adagijs. Nos diverso respectu approbamus & improbamus. Approbamus, si sit explicatio virtutum, in quarum commendationem adhiberi potest: ut sunt Modestia, Φιλητοχία: αὐθάρκεια cujusq; in sua vocatione. Quò applicari potest illud Apostoli: Φιλομηΐσα αἰήσοχαζεν καὶ ἰδία πρᾶττεν: i. Thes. 4. v. 11. Improbamus autem si hæc sententia est Epicurei Apothegmatis: Ita vivendum esse, ut nemo sciat te vivere aut vixisse. Præstò sunt rationes. 1. Quia sic vivere est contra mandatum Christi: Luceat lux vestra. Matth. 5. vers. 16. & parabolam de non defodiendo talento. 2. Tollit communionem officiorum in Ecclesia & Republica. 3. Suadet ocium ac contemptum virtutum ac vitæ. 4. Mali latentes non possunt corrigi: boni latentes non præstarent officia Ecclesie & Reipublice. Quin ergò, lateamus intra vocationis & fortunæ metas; sed etiam Deo & Reipub: fideliter serviamus, atque vocanti ad res secundas obtemperemus.

Questio IV.

Utrum vitæ an verò honoris major habenda ratio?

Distinguimus inter honorem verum & apparentem: itemq; veram & apparentem infamiam. *Veri honoris & vere infamie major habenda est ratio, quàm vitæ: & contra. Proinde vir bonus veri honoris conservandi & vere infamie fugiende causâ mortem potius oppetere, quàm vivere debet*

debet; non autem falsi honoris conservandi falsa infamia declinande causa. Rationem apponimus hanc duplicem. 1. *Quia honos est premium virtutis. Cum igitur major habenda sit ratio virtutis quam vita, idem etiam de honore statuendum fuerit.* 2. *Longè satius est mori quam peccare, & peccando infamiam incurrere.* Timpl. lib. 2. Eth: general. c. 6. quæst. 5.

Quæstio V.

An honor essentialiter cum virtute conjunctus, & nunquid honore dignissimus eodem aliquando privari possit?

Distinctam & hoc ἕρῃ postulare videtur responsionē, quā tamen ipsam ita moderabimur, ut per ὕστερον πρῶτερον, i. e. ad posterius ejusdem membrum prius respondeamus. Nam si de hoc constiterit, illud hujus luce, ut speramus, nonnihil clarebit. Pro affirmativa proinde (honore videlicet dignissimum eodem aliquando privari posse) hæc militare videntur argumenta: 1. Quia honos in nostra potestate non est, ideoq; facile auferri potest. 2. Quia sacra Scriptura idem confirmat dicens: Nullum Prophetam cum honore in patria sua esse. 3. Quia ipsa praxis & experientia testatum fecit sanctos nunquam honore affectos à populo mox ad supplicia postulatos & raptos. 4. Quia testantibus scripturis sacris honor est ex illo bonorum genere, quæ aliò referuntur. Sic enim Salvator ipse: Bona opera vestra videant alij & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

Pro negativa verò hæc adduci possunt fundamenta: 1. Quia teste Aristot. honor magis est honorantis quam honorati. Idcirco si ab aliis non honoramur, non propterea statim meritis honoris privamur. 2. Quia honor ad solam actionem probam refertur. Omnis enim actio proba, ejus est bonum
cujus

cujus est actio. Jam verò honore est actio honorantis. Ergo. 3. Effectum tribuendum est sua causa. At honorans est causa honoris. Honor enim fit à judicio & praelectione honorantis, & in ejus potestate est positus. E.

Pro determinatione quaestionis hujus membri distinguendum esse arbitramur. 1. Inter honorem honorantis & honorem honorati. 2. Inter honorem generaliter acceptum & specialiter. 3. Inter honorem pro meritis & honorem pro signis. *Externo quidem signo honoris privari vir bonus potest, meritis nequaquam, per qua absolutè vir honoratus judicari debet. Is enim qui honore afficitur in seipso probitatem, justiciam & rectitudinem habet, quibus & boni & prudentes alliciuntur & provocantur ad eum commendandum. Ideo ejus quoque bonum dicitur honos: siquidem ejus initium & causam in se habet. Ex his jam ita positis ad prius quaestionis membrum dicimus, honorem (intellige pro meritis) esse bonum quoddam, ut Piccol. grad. 8. c. 31. loquitur, cum virtute complicatum. Vnde tritum illud inter doctos enatum proverbium:*

Gloria virtutem sequitur ceu corporis umbra. Comitatur itaq, honos virtutem, sed non semper eodem gradu, interdum antè, interdum simul, & saepius pone. De quo vide plura quaest. 7.

Quaest. VI.

An homo nihili & pravus honore affici possit?

Respondemus negando. 1. *Quia fundamentum honoris virtus est, teste Arist. 1. Nicomach. c. 5. Requisite enim honoris sunt: 1. Ut deferatur à viris prudentibus & in aliqua auctoritate constitutis. 2. Ut deferatur ab ijs, quibus notissimus. 3. Ut honor tribuatur propter virtutem, eruditionem, pietatem*

pietatem & alia animi bona. Jam verò quia homo nihili & pravius hoc ultimo requisito maximè videtur destitui, etiam reliquis duobus destituetur, & sic per consequens nullo honore dignus erit. Honor enim est externa significatio, quæ ob virtutem proficiscitur ab honorante tanquam effectum à sua causa. I I. Quia Philosophus lib. 4. de moribus cap. 8. tantum solum bonum judicat honore dignum, cum inquit, κατ' ἀλήθειαν θεὸς ἀγαθὸς μόνος ἡμῶν.

Questio VII.

An etiam defunctis honor exhibendus?

Negativam hæc tueri videntur argumenta: I. Quia Arist. 3. moralium Nicomach. c. 9. mortem, ait, esse ultimam lineam rerum, nihilq; reliquum esse mortuo videri neq; bonum, neq; malum. Sic enim ille: πέρας γὰρ ὁ θάνατος καὶ οὐδὲν ἔτι τῶ τε θνεῶν δουεῖ, ἔτε ἀγαθὸν ἔτε κακὸν εἶναι. Hinc ita licet arguere: Sublato genere tolluntur omnes species. Atqui ex mente Arist. à vita functis tollitur omne bonum. Ergo etiam tolluntur omnes boni species, & per consequens etiam honor, qui inter bona externa maximum & prestantissimum est bonum. I I. Quia, ut idem Philosophus lib. 3. de anima cont. 20. inquit, in defunctis habitus animi evanescent. Iam verò sublata virtute etiam videntur simul omnia merita honoris, qui ejus signum est, tolli & evanescere.

Sed nos contra pro affirmativa pugnantes jure optimo pijs defunctis varios, pro meritis eorum varijs, honores tribui posse statuimus. I. Quia defuncti, (ut & ipse Aristot. alio in loco sentire videtur) aliqua ratione post suum ex hac visibili hominum conversatione discessum, sunt superstites, vel in memoria hominum, vel in posteris & amicis. Nos ut Christiani & sacris literis edocti, addimus, illos in rei veritate potiore & feliciore vitam vivere. II. Quia

virtus & proba munerum functiones honorem semper habent
comitem. Quapropter cum viventes hic ob egregia opera non
valuerint honore affici, æquum est, ut post obitum, eo, quem
virtus ipsorum non præsens; sed præterita meruit, honore affici-
antur. Honor autem, ut etiam supra quæst. 2. dictum, virtutem
quidem comitatur, sed non aliter ac umbra corpus. Quod ut fi-
at clarius, simile istud ipsius Petri Martyris placet interpreta-
ri verbis. Sic autem ipse: Umbra, inquit, corpus quidem
comitatur sed non eodem semper modo, nonnunquam
enim præcedit, interdum jungitur à latere, interdum
verò ponè sequitur pro diversa corporum Sæci & radio-
rum illapsu, ut docent Optici; ita quorundam virtus vix
inchoata sub ipsis initijs in summo honore habetur, ali-
orum autem virtus non suspicitur nisi cum aucta & per-
fecta est; Denique videas aliquos non prius honoratos
quàm desierint. Nam (ut veritas est) ita nobiscum serè com-
paratum est omnibus, ut bona, quæ in manibus nostris posita
sunt & oculis quotidie obversantur, facile fastidiamus, eorun-
demq; nos tandem pertædeat: Vbi verò amissa sunt, incredibi-
le sui in nobis desiderium excitent, animusq; noster eo multò ar-
dentiùs inquirat, juxta illud Salustij: Tum demum nos homi-
nes nostra intelligimus bona, quando ea, quæ in potestate no-
stra habuimus, amisimus. Et illud Horatij: Virtutem inco-
lumem odimus, sublatam ex oculis inquirimus invidi.

Hiscæ ita stantibus ad prioris opinionis argumen-
tum, I. ex ipsius Aristot. sententia respondemus; nil
defunctis vel boni vel mali convenire, quod ipsi sentiant,
convenire tamen ut in memoria, in posteris & amicis sunt
superstites. Quo sensu etiam idem I. moralium Nico-
mach. cap. II. ait: Posterorum eventa aliqua ratione perti-
nere ad defunctos. Quod 2. attinet, modo dictum est hono-
rem defunctis competere, non ob præsentis, sed ob præteritas eo-
rum

rum virtutes, munerumq; functiones. Deinde, distinguimus inter honorem generaliter & specialiter acceptum. In generali significatione, quatenus honor etiã pro bona fama accipitur, rectè ipsis competere dicimus. Nam fama magis est propria defunctorum; honor verò viventium. Quamvis nonnunquam etiam ad viventes absentes extenditur, ut dum celebres scientiarum Professores, strenuq; militia duces dicuntur fama super aethera noti. In speciali verò significatione non adeò propriè, nam, ut inquit Piccol. honor habitui competit ut principio & origini latè, usui verò ut forma propriè. Item habitui sejuncto ab actione competit honor latè sumtus, sed juncto cum actione competit propriè sumtus honor, quia postrema perfectione est præditus.

Quæstio VIII.

Utrum homo duntaxat propter virtutem honorandus, an verò etiam propter res alias.

Antequam ad hanc questionem aliquid dicamus, præceptum & presuppositum volumus, honorem, ut jam sæpè dictum latè & strictè considerari, variosque ejusdem esse gradus. His ita positis, dicimus hominem propriè & in primo gradu ob virtutem honorari τῆς γὰρ ἀρετῆς ἀθλον ἢ ἡμῆ καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. Arist. 2. Polit. cap. 9. & 4. Eth. Nicomach. cap. 3. καὶ ἀλήθειαν ὁ ἀγαθὸς μόνῃ ἡμῆτος. Interim tamen etiam propter alia, corporis puta & fortunæ bona hominem honorari posse non negamus, sed honore in lata significatione accepto. Vnde & Plato 3, de legibus dicit. Primò honoranda esse animi bona. Secundò corporis. Tertio externa. Postrema enim hæc corporis intellige

Et fortuna bona talia sunt, quod si ad ea accedant animi bona, fiant meliora & magis honoranda. Ut nobilitas bonum est, si vero ad eam accedat virtus, tunc nobilitas est magis appetenda & honoranda. Hinc Aristot. 4. de moribus cap. 8. inquit: ὦ δὲ ἀμφοῦν παρέχει μάλλον ἀξιάται τιμῆς. οἱ δὲ ἀνευ ἀρετῆς τὰ τοιαῦτα ἀγαθὰ ἔχοντες, ἕτε ὀρθῶς μεγαλόψυχοι λέγονται. Ἄνευ γὰρ ἀρετῆς παντελῶς ἕτε ἔσι τὰυτα.

Quaestio IX.

Utrum magnanimitas ab alijs virtutibus non aliter differat quàm à modestia?

Res ita se habet: Differt magnanimitas à modestia non specie sed gradu: quia idem utriusq; objectum & materia. A reliquis verò virtutibus differt ob peculiare objectum, quod sibi vendicat. Versatur enim circa appetitum honoris proximè & ipsos honores remotè, quos nulla alia virtus cum magnanimitate habet communes. Atqui diversitas objectorum infert etiam specierum diversitatem. Ergò.

Excipis autem: μεγαλοπρέπειαν operari operationibus aliarum virtutum, ut ipse Arist. 4. Nicom. c. 3. id per multa virtutum exempla satis copiosè ostendit. Resp. Magnanimitas ita operatur operatione aliarum virtutum, ut tamen peculiari sibiq; tantum proprio fungatur officio, & aliam virtutem in summo gradu producat. Vide Arist. loco dicto.

Quaestio X.

An magnanimus debeat injuriarum recordari?

Nega-

Negativam tenemus. I. Quia magnanimum non deceat esse μνησικακον. Sic enim Aristot. lib. 4. Nicom. ἡ γὰρ μεγαλοψυχία, inquit, τὸ ἀπομνησκέυειν, id est, non est magnanimi recordari injuriarum, sed eas magno animo cōtemnere & oblivisci. II. Quia injuria ad sapientem seu magnanimum non pervenit. 1. Propter excellentiam mentis. 2. Propter praestantiam virtutis. 3. Propter sapientiam magnanimi, qui adversa ad usum & splendorem virtutis mutat. In quam sententiam Seneca lib. 2. cap. 5. ita dicit: injuria ad sapientiam non pervenit. Nam si injuria alicujus mali patientia est, sapiens autem nullius mali non est patiens, nulla ad sapientem injuria pertinet. Et lib. 4. de Virtut. Magnanimus si fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri: de inimico dicēs, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit: & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare voluisse. Scito enim magnum & honestum vindictae esse genus, ignoscere. Quo respiciunt versus illi Ausonii:

Quid prudentis opus? cū possit, nolle nocere.

Quid stulti proprium? non posse, & velle nocere.



AD



AD

Ornatissimum & Doctissimum,

Dn. ELIAM DETHLEVIUM,
Amicum meum singularem.

NON nugas vendit, qui disputat, ardua certè,
Qui subit hæc vocis docta duella, subit.
Instar & est pugilis, positus qui fortiter armis
Uti pro sese, contra aliosq; potest.
Quid statuat, cur sic statuat benè nôrit oportet,
Nôrit & infringi quomodo falsa queant.
Ergo necesse sibi multæ sit conscius artis,
Quem non hæc terret mutua pugna Sophûm.
Et tu **DETHLEVI**, hæc subiens certamina prompta
Mente, tibi multæ conscius artis eris.
Consciuss es, satis his thesibus quod prodis, & ipse
VELSTENIUS Præses quod videt atque probat.
Hoc est nimirum Sophicus quod quæsiit ardor
Ille tuus, cui nox cuique dicata dies.
Laudo, **DETHLEVI**, & sunt præmia, quæ tibi tantum
Pensare ardorem dignè aliquando valent.


M. Martinus Gerberus,
Misenensis.

Soli Deo Gloria.

X 26 77 027

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

247
(8)

IN GRATIA DIVINA
QUESTIONUM ETHI-
M DECAS IIX.

De

ESTIA ET
ANIMITATE,

Quam

Sttebergensium Academia,

RÆSIDE

Clarissimo Viro

CO VELSTENIO,

Moralis Profess. P. & p. t.

Philosoph. Decano,

examini subicit

DETHLEVIUS,

MUBECENSIS,

Decemb. horâ, locoq; consuetis.

Augustinus.

endis, neq; totum accipias, quod

neq; totum respuas.

OS(O)SO

STEBERGAE

Gormani, Anno 1609.